

rimis oblita, tenebrisque inscitiae crassis circumfusa,  
 discussa caligine, illustrarint clarissima scientiae luce,  
 et, squalore eluto, blandissimis, ut ita dicam, ele-  
 gantiae et humanitatis coloribus imbuerint ornaue-  
 rintque; qui, et auctoritate praceptorum, et do-  
 ctrinae suae exemplo, praceptis omnibus efficaciore,  
 declarauerint, quam arctis inter se vinculis contine-  
 rentur omnes liberales disciplinae, et quam consen-  
 taneum esset, quam pium, quam dignum nomine et  
 doctrina Christiani, conferre scientiam omnium re-  
 rum ad vnam librorum diuinorum intelligentiam?  
 Quis vero reperietur tam cupidus tamque iejunus,  
 qui abnuat et neget, ex numero hoc Ioachimum esse  
 Camerarium, summum virum, cuius vel sola no-  
 minis mentio et cogitatio maximam iniicere omni-  
 bus admirationem et posse et debere videatur? Ab  
 eo enim cum paucis aliis sepultas dudum et eiectas  
 in exilium litteras in patriam pristinasque sedes re-  
 vocatas esse et ab inferis excitatas accepimus: ab eo  
 hic locus, hic suggestus, haec subsellia, hi parietes,  
 gaudent et clamant, in vrbe nostra, ut omnes po-  
 litioris humanitatis partes, ita Graecas potissimum  
 Latinasque litteras explicatas esse et traditas summo  
 studio: ab eo fatis constat conscriptum esse atque  
 emissum ingentem librorum omnis ferme generis nu-  
 merum, quibus erudirentur ingenia, acuerenturque  
 ad omnis verae elegantiae sensum; ut, si Camerarius  
 non fuisset, humanitatis litterae fortassis non vixi-  
 sent tamdiu in Germania; fortassis nunquam venissent  
 in aetatem apud Saxonas; fortassis nunquam tanto  
 amatorum affectorumque cupidorum choro stipa-  
 tae floruisserent in vrbe nostra. Qua quidem in re ego sae-  
 penumero soleo admirari, Auditores, et suspicere tacitus